

Forfatter: Brahe, Tycho

Titel: Udrag fra Epitaphium [Gravskrift over Johannes Pratensis]

Citation: Brahe, Tycho: "Tychonis Brahe Dani opera omnia", i Brahe, Tycho: *Tychonis Brahe Dani opera omnia*, udg. af I.L.E. Dreyer, 1913-29, s. 177. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/catalog/adl-texts-tycho09tom-shoot-idm139660972150256/facsimile.pdf> (tilgået 25. april 2024)

Anvendt udgave: Tychonis Brahe Dani opera omnia

Is tamen ante diem, medio sub flore Iuuentæ,
 Concidit: ô sæuum Ius Libitina tuum!
 Iamque valens mortis minimum fera tela timebat,
 Cum Iuuenem iaculis infidiola ferit.
 5 Qui toties Terras, toties Mare tutus obiuit,
 Forte sedens, alios dum docet, ecce perit;
 Non rapere hunc bellax poterat Germania, non hunc
 Gallia, dum mutuâ cæde timenda furit:
 Nil nocuere Alpes, nec celsior Appenninus,
 0 Dum Latii, procul hinc, celsa Theatra videt:
 Obfuit haud sæuis vicina Vngaria Turcis,
 Nilque alia a nostris disita Regna focus;
 Debuit in Patria, mediis permixtus amicis,
 Inque sua egregius stans statione mori;
 5 Vt mors congrueret vitæ, qua semper Amicis
 Et Patriæ magnis profuit officiis;
 Armaque cum morti contraria plurima haberet,
 Ut nisi ab infidiis succubuisse nequit,
 Id metuens, Iuuenem non vi sed fraude petebat,
 10 Nec prius indicto Marte, inopina rapit.
 Sed quid in hoc victo tantum Mors sæua triumphas?
 Quem tibi dum licuit vincere, victa iaces:
 Nam, velut is viuus coluit pia Dogmata CHRISTI,
 Sinceræ ex animo Religionis amans,
 15 Sic moriens animam CHRISTO concredidit, idque
 Non vetuit, quamuis Mors inopina foret;
 Teque, extrema trahens suspiria, CHRISTE, vocauit,
 Qui nos perpetuo, ne moriamur, obis:
 20 Te duce, nunc igitur, victa de Morte triumphans,
 Et Mundi et Mortis despicit infidias.

Obiit Anno 1576. Ætatis 32.

Manibus Amicj Optimi et desideratissimi,
 Viuo quod promiserat, persoluit
 TYCHO BRAHE.
 15 Vraniburgj
 1584.